

- Titel:** Stephani Macropi[i] Andreaemontani Panegyricus In  
Reditum Magnificorum ... Virorum, Dn. Conradi Germeri,  
Coss. Dn. Henrici Kerckringi Senatoris Et Patricii. Dn. M.  
Joannis Brambachii[i] Secretarii Lubecensis / Nomine Totius  
Famosissimae Et celeberrimae Societatis Hanseaticae, una  
cum Stralesundis, ad magnum Muscoviae Ducem,  
Legatorum
- Autor:** Macropus, Stephanus; Deutsche Forschungsgemeinschaft  
(DFG)
- Purl:** <https://resolver.sub.uni-hamburg.de/kitodo/PPN738521515>

## Rechtehinweis und Informationen

Der Inhalt ist gemeinfrei. Das Digitalisat darf frei genutzt werden.



Zum Zwecke der Referenzierbarkeit und einem erleichterten Zugang zum Original bitten wir um folgenden Hinweis bei der Nachnutzung:

Original und digitale Bereitstellung:  
Staats- und Universitätsbibliothek Hamburg Carl von Ossietzky  
+ Signatur + Link zum Digitalisat

Qualitativ höherwertige Reproduktionen können in verschiedenen Formaten und Auflösungen kostenpflichtig erworben werden.  
Gebühren werden entsprechend der Gebührenordnung für wissenschaftliche Bibliotheken der Freien und Hansestadt Hamburg erhoben.

Sollten Sie das Objekt in Ihrer eigenen Veröffentlichung verwenden, würden wir uns freuen, wenn Sie uns darüber informieren und uns die bibliographischen Angaben Ihrer Publikation mitteilen. Wir freuen uns natürlich sehr, wenn Sie uns zur Information sogar ein Belegexemplar der Publikation zukommen lassen können.

Kontakt für Nachfragen:  
Staats- und Universitätsbibliothek Hamburg – Carl von Ossietzky –  
Von-Melle-Park 3  
20146 Hamburg  
auskunft@sub.uni-hamburg.de  
<https://www.sub.uni-hamburg.de>





Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. \_\_\_\_\_

the scale towards document

Aug 6. 2. 3.)

# STEPHANI MACROPI

Andreæ montani.

## Panegyricus

In Reditum

*Magnificorum, Prudentissimorum Ampliss. & Clariss. Virorum.*

DN. CONRADI GERMERI,

C O S S .

DN. HENRICI KERCKRINI  
G I SENATORIS ET PATRICII.

DN. M. JOANNIS BRAMBACHI  
SECRETARI LUBECENSIS.

NOMINE TOTIVS FAMOSISSIMÆ ET  
celeberrimæ Societatis Hanseaticæ, unâ cum Stralesundis,  
ad Magnum Muscovia Ducem,

L E G A T O R U M .



E X C U S U S

Lubecæ typis Albrechtianis.

ANNO CHRISTI

M. D. CIII.

Aior eram versu quondam, meliusq; fluebant  
Grandia in alternos verba revincta pedes.  
Maior & in nostris regnabat gratia dictis  
Quæ stupeant medio plena theatra foro:  
Cum nondum misero curarum marcidus astu  
Tractabam Ausoniæ plectra sonora lyre.  
At mihi deterior iam canis pingitur ætas  
Ingeniiq; perit, qui fuit ante, vigor.  
Non ego longæva quod forsan mole laborem,  
Sex etenim vitæ lustra nec acta meæ.  
Nostra sed adversis agitur quod cymba procellis,  
Livorisq; potens me premit unda mali.  
Ergo quod Heroo iam non incincta cothurno  
Musa parùm vestris laudibus apta canit:  
Temporis id vitium est, veniam concedite Patres,  
Vos date lata mihi tempora, magna canam.





Q UOD haec tenus ultra triginta annos publica con- Crebra con-  
sultationes  
de Nonno-  
gardiens  
Emporio  
restituendo.  
sultatione inter Hanseaticæ Societatis Ciuitates est deliberatum, cuius causa tories maximi ac celeberrimi conventus à Magnifico Lubecensi Senatu in dicti, cuius causa immensi sumptus frustra facti, ut restituendo nimirum amissum olim in Muscovia commune Emporium Novogardianum in veterem dignitatem & splendorem restitueretur, quod quidem à Majoribus nostris superiori tempore sèpè tentatum, nunquam tamen perfectum fuit, istud D E I Opt. Max. beneficio, & prudentissimis Patrum consiliis felicissimo Eventu & Successu nunc tandem contra multorum spem & opinionem consecuti sumus.

Felix omnino & in fastis reponenda dies, quā te Conradum Legati ad Germerum Consulem, te Henricum Kerckringum Senatorem Patricium, Muscovie teq; Iohannem Brambachium Secretarium clarissima hujus Civitatis Ducem, Lumina, vosq; cæteros, perfunctâ hac feliciter legatione latis vicissim oculis, hac urbe receptos, saluos & incolumes aspiciimus! Vidistis faustâ cum gratulatione, totam civitatem, quam primum de reditu vestro auditum est, in occursum se velstrum præcipitatem! Vidistis cujusvis ætatis & ordinis homines inopinatâ lætitia exhilaratos, inter quos multi qui cum podagra, & afflicta corporis valetudine bellum per multum temporis gerentes, domiciliis suis, dolore quasi clavis affixi hæserunt, hoc ipso die, novis assumptis viribus unâ portis effusi, spectaculo huic, ut interest, domo præter Medicorum Edictum contineri haud quam potuerunt, hacq; repentina immutatione plurimi sanitatem recuperarunt. Vidistis vos Matres, uxores, liberos, præ nimia & vehementissima lætitia lacrymantes, in amplexus vestros ruentes, vos amplexantes, multa de itinere vestro, super salute & valetudine, super statu regni Muscovitici officiose interrogantes. Uxores maritum, liberi Parentem, nepos avum, familia herum sibi suum redditum esse gaudent, & quibuscumque placere possunt officiis, iisdem blandiendo allubescunt. Vidistis Ampliss. Senatorii ordinis & Civium præci-

puos quoque vobis obviam venientes, quorum omnium & singulorum studium & voluntas, qualia in vos sint, inde neque dubium neque obscurum esse vobis potest. Vidistis denique quantus omnium ætatum & hominum, ore, manibus, oculis, gestibus, redundantem & foras erumpere nitentem lætitiam, indicantium, hodiè ad vos factus sit concursus. Qui ut discessum vestrum fausto & felici omni prosequuti sunt: Ita nunc unanimi gratulatione & lætis vocibus vobis acclamant, in vos oculos defigunt, nec satis aspectu vestro exatiari possunt. Ipsum cœlum, per multas septimanas pluviis turbidum ac nebulosum, ita subito vobis redeuntibus enitescere cœpit, vt dubium non sit, ipsos etiam Superos, illos, qui vobis habiti sunt, honores hâc ipsâ inopinatâ exortâ serenitate, veluti assensu suo comprobare.

*Difficultates itineris.*

Meministis adhuc, cum superioribus mensibus Ampliss. Se-  
natus decreto, hæc honorifica vobis ad Magnum Muscovię Du-  
cem profectio injungeretur, quæ fuerit omnium bonorum sol-  
licitudo, quæ cognatorum trepidatio, qui matrum ac liberorum  
pavor, eo major & acerbior, quò magis alieno hyemis tempo-  
re non solum inter perpetuas pluvias & nives vobis pergendū,  
sed etiam, quod tristius est, per terras & regiones iter facien-  
dum esset, fœdissimā & abominandā teterimā pestis lue ferē  
absumptas & conflagratas, ita ut necessum fuerit, expansis no-  
ctu sub dio interdum tentoriis flammis adversus frigoris sœvi-  
tiam certare, & hac ratione potius vitæ consulere, quam certissi-  
mum interitum inter tot millia cadaverosa funera, præsentī  
mortis metu præstolari.

*Nives.*

*Pestis.*

*Rumor de  
infidiis.*

Auxit illis hunc metum, quod rumor  
increbesceret, infidias undiquaq; & clandestinas machinatio-  
nes vestris corporibus à quibusdam, male & præter meritum  
huic Civitati infensis strui, atq; adeò etiam vias nonnullis in-  
locis obsideri, ut non parum timendum esset, ne id efficerent,  
quod maximè velle viderentur. Horret adhuc meus bonorum  
quæ omnium animus, quoties mihi in mentem venit, excitatæ  
illius à perditis & malevolis hominibus famæ, quâ vos non lon-  
gè à Muscovia finibus, à barbaris Præcopiensibus Tartaris, ma-  
ximam partem cæsos, reliquos captos, & in tristissimam servi-  
tutem abreptos esse, nunciabatur. Malè pereat, quisquis ille fu-

it, qui primum ista mendacia vel ad voluptatem suam vel aliorum afflictionem disseminavit. Quanta enim animorum consternatione omnes, in primis charissimas istas animas vestras, quotidie de vobis anxiè anquirentes, hæc pessima fama oppresserit, ipsimet cogitare potestis.

Denique ad reliqua profectionis incommoda accessit, quod vos, in primis vero te Charissime Sympatriota Brambachi, male tum etiam valetudine affectum, non immerito movere & absterre poterat, barbaræ regionis asperitas, cœli aërisq; inclemencia, victus & alimentorum à nostris diuersa ratio, viæ præterea per horrendas sylvas & solitudines vastas & immensas, diu noctuq; inter perpetuas nives & pluvias protrahendæ tedium! Quibus omnibus beata illa Campaniæ rura, amœnissimi Euganei colles, ac fertiles & delicati Italiæ agri, celeberrimis ac creberrimis urbibus, castris, villis, montibus, promontoriis, collibus perpetuò virentibus & lætissimis pampinis sese integrantibus, longè latequè conspicui, ac amœnitate, ubertate, & jucunditate, peregrinantem quasi suspensum ac stupefactum, detinentes, carent. Et quidem ea beatissimi mundi & verè Alcinœa pomeria ita unumquemque, qui eorum dulcedinem semel degustavit, discedentem dimittunt, ut nemo sit, qui benè nummatà crumenâ non sèpius, nisi planè stupidus sit, & brutorum saltem in morem peregrinetur, eodem reverti malit. Quod enim quidam domi plane ociosi confident, & patriis incunabulis haud aliter atq; fungi arboribus connascentes, adhærescant, quemadmodum peregrinationis fructum & utilitatem non sati cognitam habent: Ita nullam aliam quam fungorum vitam agunt. Istæ vero Aquilonares regiones ad Boristhenem, ultra Sarmatiam in infinitum protensa, ac Boreis & Aquilonib<sup>o</sup> perpetuò horrentes, quidnam amœnitatis aut suavitatis habent? quâ oblectatione aliquem magnopere invitarent aut alliceret, & non potius longius etiam aspicientem squalore suo fugaret? Proinde extra dubium est, neque necesse multis probari, vos asperrimi minimeq; amabilis Muscovitici regni desiderio citò fatiatos, majoribus ab excessu, quâ in ingressu itineribus, huc vicissim ad caros & exoptatos penates anhelasse.

Interim tamen nemo putet, ad imminendum maximè fru-

Barbaries  
regionis.

Italia dell-  
casa.

Fungorum  
vitam age-  
re.

*Scopus.*

giferum & amplissimum, quem inde expectamus, & cuius cau-  
sa, universum hoc legationis opus & suscepsum & feliciter ex-  
peditum fuit, Commerciorum usum hæc à medici, multò mi-  
nus istum improbari. Quin potius eò mihi dirigenda est ora-  
tio, ut ostendam, & summe in omni hominum, etiam barbaris-  
simorum genere necessarium esse honestum Commerciorum  
Exercitium, ac illius auspicijs, Deo fortunante, hanc urbem  
omnium Invidiam prætergrediendo, à parvis initis ad maxi-  
ma incrementa pervenisse, ac templorum ornatu, ædificiorum  
splendore, divitijs, opibus, viribus, & quod præcipuum est, be-  
ne constitutis Reipublicis legibus in tantam dignitatem efflo-  
ruisse, ut & antiquis temporibus Caput Vandalicarum Civitatum  
constitueretur, & postea etiam, novis adjectis honoribus, & li-  
beræ Exemptionis titulo donata, Imperialis efficeretur. Quâ oc-  
casione quam potero, brevissime demonstrare conabor, è qui-  
bus fundamentis Lubeca emerserit, quomodo tantos progres-  
sus fecerit, & in hanc molem concreverit? Deinde quomodo  
Emporia, in primis vero Novogardiense in Muscovia excitatū,  
postea collapsum, & nunc tandem post tot annorum decursum,  
restitutum fuerit.

*Principia  
rerum igno-  
bilia.*

Quemadmodum igitur secundum Philosophum omnium  
rerum quoddam est principium, ac quo illud est obscurius,  
eo fere nobilius, ac ad majora, si recte adhibeat, comparatu-  
rum, siquidem ex informi & rudi materia nobilissimum a-  
nimal, hominem neimpè producit: Ita maxima & celeberrima,  
qua per orbem vigent, urbes & civitates ab obscuris exordiis  
capientes initii, ad summam nominis claritatem brevi evase-  
runt. Sic totius orbis Domina & Regina Roma: sic ejus amu-  
la Carthago, sic Athenæ, sic Venetiæ tempore Attilanæ persecu-  
tionis, sic pleræq; aliæ humi surgere, postmodo Incolarum mul-  
titudine & confluxu auctæ, varioq; artificiorum genere exorna-  
tæ, indies se dilatare, & ad altiora eniti cœperunt. Ut vero ho-  
mines: Ita etiam Civitates sua stata quasi habent tempora, fa-  
tali naturæ lege per nascentes suos ortus & recurrentes occa-  
sus definita, ut sumnum adeptæ fastigium vicissim ad interitum  
præcipites devolvantur.

*Ortus &  
occasus ci-  
uitatum.*

Eodem modo & iisdem principiis etiam Lubeca nostra ince-  
pit,

pit , jactis primum ejus circiter annum Christi Millesimum octagesimum septimum , à Critone quodam Obotritorum , Vangiorum ac Vandalorum Principe , ad Schuartoviam fluvium fundementis , qui cum bellorum tempestate impeditus incepit opus ad umbilicum perducere prohiberetur , sequentibus temporibus Adolphus Secundus Schauenburgiae ac Holsatiae Comes , aliud & magis ex re commodum aggressus consilium , demolitæ veteris urbis reliquias ex ruderibus collectas , & ad superiora inter lacum Wakenissam & Travennam fluvium translatas , circa annum Salutis Millesimum centesimum quadragesimum , novam urbem Lubecam ( antea Suartoviam à proximo flumine , ejusdem nominis appellatam ) mœniis fossisque conclusam feliciter instauravit , cui ex Luba pescatore ibidem reperto , ut quidam volunt , nomen imposuit , & ductis eō ex Holsatia colonis , eam Civitatis faciem , quam etiamnum extrinsecus videmus , delineauit , atque isto opere nunquam interitur famæ laudem sibi acquisivit . Urbs nostra ètate sparsa , dominibus ac Civibus frequens , sumptibus stupendis atque cultu magnifico superba , ab ortu & meridie versus Septentrionem inter amoenissimos colles sita , septem vastæ magnitudinis & molis turribus late se sub conspectum exhibit . Ita condita , ut corporis humani spinam exprimere videatur , medio montis dorso biviâ plateâ dissecta , reliquis autem vicis veluti costis ab utroque latere , æquali fere inter se distantia procurrentibus .

Verum vix bene sub Adolpho tumultuario opere nata , statim decimo quarto post recepta incunabula anno , misere incendio periit , fortassis quod majorem Dii tutelares illi splendorem reservassent . Ab eo die mutato Domino , in Henrici Leonis Ducis Bavariae ac Saxonie potestatem devenit , qui eam à Comite precibus & minis extortam , & Civium aliorumque ; maximâ libertatis Immunitatum ac Privilegiorum spe ex peregrinis locis evocatorum opera reparatam , imperatis legibus ac tributis placide gubernavit , adeoq; formam reipublicæ , Senatus , & Iura civibus primus omnium præscripsit , atque etiam Episcopato ex Oldenburga eō translato , ædem collegiatam in qua Canonici sacra Deo operarētur ibidem struxit . Cum vero is postea prolatis in immensum suarum ditionum finibus , propter

Initium  
Lubeca.  
1 0 8 7.

Crito.

Translato. Crayon.

1 1 4 2.

Figura.

Primum in cendium.

1 1 5 4.

Venit in potestatem

Henrici

Leonis.

1 1 5 3.

1 1 5 2.

per potentiam, & quæsitam bello gloriam, partamq; etiam  
apud hostes invidiosi nominis admirationem, in reliquorum.  
Germaniæ Principum odium incurreret, variis illi excogitatis  
criminationibus, Fridericum Imperatorem adeo indignatione  
& ira contra ipsum armarunt, ut omni dignitate nudatum Prin-  
cipem optimum, paternis fundis & ditionib<sup>o</sup> exueret, exutum-  
que hostili exercitu Lubecam usq; persequeretur. Quo cum-  
veniens urbem obsidere jussisset, missis Lubecenses oratoribus,  
imprætrarunt, ut sibi prius Ducem suum, cui Sacramento obstri-  
cti essent, de presenti periculo per suos edocere liceret, alioquin  
si id sibi denegaretur, extreum potius se vitæ & fortunæ di-  
scrimen subire, ac masculis & generosis animis mortem intre-  
pide, pro fide liberanda oppetere, quād fidem Domino suo se-  
mel obligatam deserere, omnino secum decrevisse. Sed  
quod ipse ab amicis, propinquis, consanguineis & reliquis sub-  
ditis desertum se animadverteret, nec suæ, ne dum aliorum  
necessitati subvenire posset, temporum arbitrio obsecutus, eos  
fidelitatis Juramento absolutos ad Cæsarem remisit. Cui con-  
stans & intrepida ipsorum erga Ducem fides adeo grata acci-  
dit, ut propterea illos in Imperij partem & societatem recepe-  
rit, urbemq; pro munificentia suâ, quod Imperatorem decet,  
multo majoribus honorum & dignitatum augmentis amplifi-  
cando, latifundia & possessiones plurimas ei adjecerit, Immu-  
nitatibus maximis auxerit, ac quibus etiamnum utitur Insigni-  
bus Cæfareis exornarit. Exortà postea inter Comitem Adolphum & Civitatem contentione, super vectigali, à Civibus per  
ostium Travenæ egredientibus & ingredientibus exacto, q; Co-  
mes se in jus Henr. Leonis beneficio Cæsarlis succedere afferens  
fluminis ostium præsidio ad Travemundam firmaret, ac Civi-  
tati sylvas, agros, & pascua in Holsatia adimeret, tandem inter-  
veniente Cæsarlis autoritate ita transactum est, ut Lubecenses  
quingentis argenti marcis Travenæ fluvium ab Oldesloa oppi-  
do Holsatiæ, quatuor milliaribus infra Lubecam, usq; Trave-  
mudam, ubi se in mare Balthicum exonerat, totum sui Juris fe-  
cerint. Quod ipsum Cæsar & ratum habuit, & diplomate suo  
corrobavit, adeo ut post tot annorū Centurias frustra se fatiga-  
re atq; operam & oleum perdere videantur, qui sola dominandi  
libi-

Men: Leo  
invidia la-  
borans ci-  
vitatem a-  
mittit.

Lubeca ob-  
sideretur.

Constans  
fides.

Imperio af-  
sociatur.  
1482.

Contentio  
inter Adol-  
phum 2. &  
Lubecenses  
sopita.

1486.

libidine, contra Juris divini & humani æquitatem, contra Majorum conventiones & transactiones, contra tot Romanorū Imperatorum perpetuo ordine subsecutas Confirmationes, validas & inconcussas omnia intervertere, alios quieta possessione ejicere, & potius suprema infimis commiscere, quam semel inuste cœptis desistere volunt. Ferendi tamen eo magis, quod Scarabæus non suapte sponte, sed malis malorum authorum consiliis, ejusmodi vitiligiosis actionibus, tam in suam quam aliorum perniciem implicantur.

Verum, ut eo redeamus, Cæsare bello in Apulia occupato, Dux Henricus Leo ex Anglia reversus post expugnatum & funditus eversum Bardevicum (finitimam & magnificam olim, quod rudera adhuc ostendunt, & ducentis ut fama est annis ante Romam à Bardis populis extructam urbem) Lubecam vicinorum clade territam, voluntaria deditio de nuo in fidem accepit. Ex cuius tamen manibus eam Adolphus Holsatus, Raceburgenis Comitis viribus adjutus, aliquandiu arctissime obfessam, profligato, qui ad juvandam urbem comiteau & subsidiis per Albim advenerat exercitu, vi armata vi- cissim extorsit. Sed quod is partes Marchionis Brandenburgensis securus, bello adversus Woldemarum regem Daniæ vi- etorem se unâ involveret, tota eum Holsatiâ exterminatum, posteâ comprehensum, & in Custodiam perductum, Rex aliter dimittere noluit, quam ut datis obsidibus, Juramento se obstringeret, sese traditâ Regi cum omni Jure Holsatiâ ad avitas patriæ Schauenburgensis ditiones reversum, in posterum nihil quidquam temere innovaturum. Exinde Waldemarus libe- rè pervagata Holsatiâ ad Lubecam cum viatore exercitu conse- dit, extrema interminatus, si obfessionis potius & captiuorum fortunam, quam clementiam suam experiri mallent. Hoc modo facta deditio Civitas quinta jam vice intra centesimum annum mutato Domino, Regis Daniæ arbitrio se permisit.

Constitutis ibi pro voluntate sua rebus, impositoque civibus, libertatis dulcedini jam assuetis præsidio, ne post abitum, suum rebellionem concitarent, Rex inde vicissim in Daniam movit. Decimo deinde & quarto ab ejus discessu anno, Lube- ca secunda vice tota in flamas & cineres ad quinq; domos,

Lubera de-  
nuo à Lea-  
ne recupe-  
rata

Ab eodem  
amissa.

Dani Impe-  
rio ad ex-  
tremum  
subiekti.

119 54

Secundum  
incendium.

120 9,

Dani con-  
tumeliosè  
agunt.

quæ à favillis intactæ permansere, horribili incendio est con-  
versa, unde adhuc nomen remansit, ut quinque domalis vicus  
indigetur. Ab eo autem tempore per triginta annos & eo  
plus, gravissimam Danorum servitutem, asperitatem, ludi-  
bria, contemptum & lasciviam ferre coacti sunt, plerisque fre-  
mentibus, sed tamen audacter, quidnam sentirent, pronunciare  
non ausis, quod capitum periculum si res male caderet, se subitu-  
ros haud ignorarent. Non defuere tamen, qui ejus oneris per-  
tæsi, pro salute & incolumente publica, magnum & egregium  
ad posteritatem facinus animo excuso conceperunt. Id quod  
communicatis consiliis clam habuere, donec occupanda per-  
dolum arcis, & restituenda jamdiu Danorum violentiâ afflictæ  
libertatis occasionem fortuna ipsa optatam suggestere videre-

Civium  
strategema  
re ubs à  
Danis libe-  
rata.

1. 2. 2. 6.

" præclaris facinoris author Alexander à Soltwædel Civitatis cō-  
vvaldemar-  
rus adver-  
sus Lube-  
censes.  
" Waldemarus valido & insigni collecto per Daniam exercitu, conscriptis etiam Dithmarsis populis ferocissimis, properè adver-  
sus Lubecenses contendit, cui Ottho Dux Lunæburgensis, ne-  
pos Henrici Leonis, Regis sorore prognatus, & Episcopus Schlesvicensis, magnis se copiis conjunxerunt. Etsi vero Cæ-  
sar literis à Senatu populoq; Lubecensi mature de præsenti pe-  
riculo ad ferendum suppetias admoneretur: omnem tamen  
ejus tutandæ curam abjiciens, saltem vicinis principibus re-  
scripsit, ne fidam Romano Imperio civitatem denuo ab exter-  
nis subjugari, & ad extrema redigi paterentur. Ipse vero ne-  
quicquam gladium in hostem strinxit, sed perpetue vagnia con-  
ditum habuit, ut nisi Cives spem in seipsis repositam, majoribus animis quam viribus confirmassent, haud dubie istis tem-  
poribus de Lubeca actum fuisset. Sed nunquam deserit justam  
Deus causam, & si humanæ deficiant vires, ipse potentiam  
suam, quam maximorum Regum & Principum minas uno im-  
per

petu contundit & frangit, præsentem ostendit. Concursum est  
in festis agminibus, aciequè conferta ipso die Mariæ Magdalo-  
næ, juxta pagum Bornhovedanum, medio itinere inter Lube-  
cam & Chilonium, Danis pro amplificanda tyrannide & redi-  
genda in pristinam servitutem civitate: Civibus verò pro glo-  
ria, pro libertate, pro aris, proq; focis enixè contra Danos con-  
certantibus, multis eorum millibus ad internacionem cæsis,  
qui opposito radiorum Solis iētu ac splendore excæcati, & ab  
ipsis sociis Dithmarsis (qui acceptæ olim cladis memores, ar-  
ma in commilitones una verterunt) deserti, cum multis vulne-  
ribus confecti hostilium gladiorum aciem diutius ferre non

Danis alii  
beccensibus  
victi.

1 2 2 7.

Dithmarsi  
à Rege de-  
ficiunt.  
possent, deserta statione, ignominiosam fugam arripuerunt. In  
qua pugna istud etiam miraculosum accidit, quod Crantzius  
scribit, non solum divam Imaginem (quam credula & supersti-  
tiosa antiquitas Mariam Magdalenam finxit) inter nubes con-  
spectam, sed etiam ardentes & flammantes Solis radios, quos  
Lubecensis exercitus prius infestos habuisset, reciprocatione  
in Danos subito conversos esse. Id si verum est, facile inde col-  
ligendum erit, D E u M ipsum hostibus indignatum fuisse, quod  
insatiabili aviditate suis non contenti finibus in aliena inhia-  
rent. Ita hoc ipso victorioso die, quem solenni memoria Sena-  
tus Populusqué Lub. annuis supplicationibus & gratiarum a-  
ctioni consecravit, mascula & animosa civium virtute, auxilio  
què Alberti primi Ducis Saxonie, & Adolphi quarti Comitis  
Holsatiae, Danorum faucibus Civitas est erpta, & per Impe-  
ratorem exemptionis titulo, in amissam dignitatem integrè re-  
stituta, ita ut ab eo tempore & re & nomine Imperiale, id est,  
fidelissimam Imperii Romani sociam se profiteatur.

Miraculū.

Annus sup-  
plicationes.

Lubeca  
Exemptio-  
nis titulo  
donata.

Bellum cum  
Adolpho &  
rege Dania  
gestum.

1 2 3 8.  
Tertium  
incendiū.

1 2 4 9.

Variis postea & externis & internis bellorum motibus con-  
cussa, ac civili tempestate aliquoties agitata fuit, quæ cursim  
saltē & quasi in transitu summis digitis attingam. Primum  
post eam memorabilem & gloriosam victoriam, bellum gessit  
cum Adolpho Comite Holsatiae, & Erico Rege Daniae, qui tum  
demersa navi fluminis Travenæ ostium obstruxit, re tamen in-  
fecta uterque militem reduxit. Paruo autem intersticio iterum  
Urbs dimidia sui parte conflagravit. Damnis reparatis Strale-  
fundam novam, sed tamen suæ felicitatis æmulam urbem, ædi-  
fici-

ficiis, opibus, & mercibus quotidiè augescentem, & propterea

*Stratynma  
à Lub. euer  
sa.*  
vicinorum calamitati & fortune superbè insultantem, diripi-  
endo devastarunt. Inde Teutonici ordinis Magistris in sacram

*1244.  
Lubecenses  
in Lituano  
movent.*  
militiam adversus gentiles & Idololatricas Lituaniæ ac Livo-  
niae Provincias nomina dederunt, & unâ cum Bremensib⁹ adeo

*1250.  
Privata  
Lub. cōtro  
verſie.*  
strenue, se gesserunt, ut maximè honorifico Privilegio sibi suif-  
què acquisito, in istum ordinem cooptarentur. Pacata interim

ad aliquot annos fuit civitas, nisi quod crebræ inter cives &  
Canonicos, sive clerros, super privatis quibusdam controversiis

*Quartum  
incendum.*  
simultates & offensiones intervenirent, quod nemini mirum  
videri debet, cum Ecclesiastici istis temporibus, de hodiernis

*1276.  
Latrocinia  
olim crebra*  
enim moribus, ubi homines præ nimia pietate tenebrimas &

planè Evangelicas conscientias habent, nihil dicimus), insatiabili  
habendi omnia cupiditate laborarent. Interim Civitas quarta  
vice incensa, non exiguum damnum sensit. Ne tamen ocio pla-  
nè torpescerent Lubecenses, vires suas contra Latrocinantium

*1290.*  
latibula & præsidia converterunt. Et quia è tempestate nobilis  
libus non vitio, sed laudi dabatur latrocinandi studium, eo nobiliores se aestimantes, quo majorem inde quæstum ad se rapu-  
issent, cum sibi idem, quo majoribus feris & belluis quæ minora  
animantia ad prædam suam persequuntur, licere arbitra-  
rentur, ut spoliis (quod Ulysses de Polyphemus scribit) misero-  
rum satiati, divitias sibi congererent, & propterea viis obfessis,

cives eorumque bona saepius infastarent, Lubecenses ira ex-  
asperati, subito in vicinos undiquaque irruendo, eos eorumq; re-  
ceptatores & fautores magno numero cœsos, Marti pro hostiis  
consecrарunt, eorumque speluncas solo funditus æquarunt. E-  
versis ad hunc modum tum in Holsatia, tum in reliquis Saxonice-  
æ finibus istis latronum receptaculis, non nihil à variis mole-  
stiis respirantes, in magnos opum merciumque successus eva-  
serunt, semper tamen lites quasdam exercuerunt cum Episco-  
pis, qui nimiam sibi in populum & Jura Civitatis licentiam  
arrogare videbantur, quas tandem aula Romana diremit. Vix

*1308.  
Ecclesiasti  
per tumul-  
sum urbe  
ejecti.*  
tamen obducta cicatrice istud Ecclesiasticum bellum recrudu-  
it, factoq; civium concursu, clericis urbe ejecti, varieq; à furi-  
bundis in ipsorum possessiones saevitum, tandem vero utrinq;  
in Concordiam rediere, quæ sequentibus annis firma & inviola-  
ta duravit.

1315.

Aucta

Aucta jam in immensum Civitate non solum vicini Principes, Duces Saxonæ, Marchiones Brandenburgici, Duces Brunswicenses & Lunenburgenses, Itemque Megapolenses, Pomeraniae & Holsatiae Principes, amicitiam & familiaritatem cum Senatu populoque Lubecensi contraxerunt: Verum etiam augustinissimos sapientius, in ea conventus indicendo agendoque, Cives sibi benevolentia, favore & bene meritis maximè devinxerunt.

Inter quos celebriores sunt illi, Anno Incarnationis C H R I S T I  
1335. & 1356. magna Ducum, Principum, & nobilium frequentia Lubecæ habiti, quem posteriorem Woldemarus Rex Daniæ præsentia suâ, institutisque per aliquot dies in foro à Senatu hastiliudiis, & magnificentissimis epulis, quibus Rex interfuit, nobilitavit. Utinam vero eodem & hodie Principes animo in Civitates essent, utinam sanctam, olimque in veterum tabulas relatam fidem, stabilem & integrum conservarent, utinam non vivos ( qui ad nutum & voluntatem Principum blandiuntur ) sed mutuos Consiliarios adhiberent, utinam non solutis amoris & mutuorum officiorum vinculis arctius cohæserent, & conjunctis viribus contra communes hostes Imperii Romani & patriæ Germaniae, pro qua veluti unius corporis membra priscis seculis vitam & sanguinem ultro impendere honestum duxerunt, quamque tot seculis adversus invictam Romanorum potentiam propriæ salutis impendio tantopere tutati sunt, ut etiam ultra Alpes multorum millium numero progressi, maximum Aquilæ Romanæ terrorem incusserint, & vietria signa in ipsis Italiæ viscerib⁹ defixerint, conspirarent, melius fortassis Respublica haberet, nec felici fortassis & magno successu, ut Tacitus scribit, consilia nostra carerent. Non enim in exercitu nec in solis divitiis & congestis magno labore Regnum presidia.

Conventus  
Principum  
Lubeca.  
1335.

Libertas  
Civitatum  
Principibus  
hodie in-  
visa.

*Amici qui-  
nam appel-  
lentur.*

Iūm veniunt , quos vulgariter ita appellare consuevimus , nec solum agnati aut affines , aut qui , quam diu aliquam se utilitatem à nobis consecuturos sperant , omnia copiosē facta simula taquē benevolentia pollicentur , cūm minimē egemus , mox in rebus adversis sese avertunt ; sed qui & minimē fucati sunt , nec privati quæstus aut commodi causā fœdus & amicitiam colút , ac quando factō opus est , reipsa tales se probant , quales etiam extra necessitatis aleam videri volunt . De quo recte Cicero scri ptum reliquit : Amicitiam qui è vita sublatam cupiunt , Solem ipsum è mundo tollere conantur , quā à D e o immortali nihil melius habemus , nihilquē jucundius . Itaque si exemeris ex natura rerum , e societate hominum benevolentiae coniunctio nem , nec domus ulla , nec urbs stare poterit , nec agri quidem cultus permanebit .

*Concordia  
inter Prin-  
cipes & Ci-  
vitates iam  
evanuit.*

*Causa dis-  
sidii.*

Præclarè se in hac re gessit superiorum temporum ætas pri scia & incorrupta , ubi gratiā & mutuo beneficiendi studio , non odio inter principes & civitates certabatur . At longè aliter ho die se res habet . Planè inversos Regum ac Principum mores vi deas , nullis isti infensiores atque Civitatibus , & quo illæ sunt potentiores , eo magis in earum interitum & perniciem invigil ant , eo impotentiores iras in eas gerunt , ac diu noctuq ; de iis opprimendis , & in servitutem redigendis consilia versant , quācunq ; tandem Juris causam immoderato illicitæ concupiscentiæ furori prætexere possint , parum perpendentes , quo Jure quave injuria istud agant , dummodo libidinosis & imperiosis affectibus suis obsequantur . Inde fit , ut per vim saepius eo con torqueant , quæ unicuique suum tribuunt sacrosanctæ justitiæ precepta , unde naturâ maxime abhorrent . Grave enim illis est , nec satis æquo animo ferunt , Civitates aliqua adhuc libertate frui , nec ad quidvis Principum Imperio obtemperare velle : Omnia quæ in mundo sunt , propter se facta conditaquē credunt , sua esse , quæcunque subditi possident , nec fas esse , ut privati ci vies suis legibus vivant , vites & nervos habeant , & Principum imperata quantumvis interdum iniqua & æquitati contraria , contemnant . Hoc est , quod illos assidue torquet , quod illis dolorem auget , longè diversum sentientes à Majoribus suis , qui suam dignitatem , incolumentem , & præsidium , quacunque in gruen-

gruente necessitate, in Civitatum salute & fortunis repositam  
esse, verè statuerunt. Atque propterea prudentissimā olim rati-  
tione, ut humili surgerent, cultuquē augescerent, viribus eas su-  
is, sumptibus & impensis juvando, turius & ad stabiliendam ci-  
vium erga se fidem firmius esse cognoverunt amari quam timeri.  
Sed quis hæc in theatro, nisi capit is periculum sibi accersere  
velit, tuto dicere ausit? Veruntamen, ut sit, non tam Principes,  
quam inutiles & famelici non à Musis, sed à mulis, nec in scho-  
lis, sed in popinis & culinis interdum instituti, adulatores, quos  
magnō numero interdum ignari, in suam ipsius perniciem cir-  
ca se alunt, quibusque nimium prurientes aures præbent, sunt  
perstringendi, qui ut Magnatum sibi favorem & gratiam, licet  
quovis Eurypō volubiliorem & inconstantiorem auctupentur,  
omnia ad ipsorum libidinem dicunt, scribunt, & faciunt, odi-  
umque Civitatum, quas Principes libenter perditas vellent,  
magis magisque ipsis instillant, ac tamdiu oleum Camino ad-  
dunt, donec incendio excitato, ipsi pessimorum consiliorum  
fuorum, quæ plerunque in authores recidere solent, pœnas  
gravissimas luant.

Conventu Principum Lubecæ congregatorum soluto, de-  
nuo in pacis publicæ violatores sequentibus annis Lubecenses  
animadverterunt, & subversis in vicina Saxoniam aliquot latro-  
cinio famosis speluncis, securitatem peregrinantibus restitue-  
runt. Exarsit postea bellum inter Woldemarum & Lubecam,  
ac confederatas Civitates, quod is per novas impositiones,  
negociatibus in regno Daniæ, contra Majorum sociis civita-  
tibus concessa Privilegia, alia subinde incommoda & damna af-  
ferret, sed istud tandem filii Regis Christophori lethali bom-  
bardæ iectu percussi, morte est diremptum. Quod vero istis tem-  
poribus hæc Civitas accessione maximarum opum & divitia-  
rum ubique terrarum inclaræsceret, adeo etiam, ut Reges &  
Principes ejus potentiam formidarent, & satis se tutos crede-  
rent si Lubecam suis partibus conjunctam haberent, motus  
quoque est Carolus quartus Imperator, ut urbem eam, de quâ  
tanta ferebantur, perlustraret. Ubi auditu omnia majora de-  
prehendit, admirans tantum omnium rerum apparatum, tot  
tantosque malos, antennas, naves & navalia instrumenta, pon-  
dero-

Pestes auli-  
ca adulato-  
res.

Bellum in-  
ter VVold-  
marum &  
Lubecam.

1300

Carolus  
Imperator  
Lubecam  
invist.

1375

derosas anchoras & alia visu stupenda. Quem & advenientem, eā quæ Imperatorem decet, magnificētia exceptum, per multos dies lautissimē habuerunt, lātissimisqū votis & bellicis tonitruis discedentem, prosequuti sunt, obstructā etiam versus ortum, in ejus memoriam portā, ex qua abiens valedixit. Tum vero ista fuit potentia Civitas, ut quemadmodum Annales testantur, quadraginta & aliquot triginta naves onerarias ad diversas mundi plagas, merces preciosissimas, & varii generis, inde reportantes, quæ ex hac urbe veluti fonte per multas venas, in cæteras regiones defluxerunt, armare & ex portu emittre potuerit.

*Navalis  
apparatus.*

*Seditionis  
tempeſtas.*

1360.

1408.

*Seceſſiones  
Reip. perni-  
cioſa.*

Statim à Cæſaris discessu populari & gravi seditionis tempeſtate æſtuare Civitas cœpit, quæ licet aliquoties propter alias, authorum consilia interturbantes difficultates, compressa est, tamen subinde revoluta, tandem confirmatis viribus, post aliquot annos totam Lubecam inundavit. Miseranda & horrenda erat omnium rerum facies, nec leges, nec voces à furente plebe (cujus Dux & Antesignanus quidam extremæ fecis Catilina antea Schonebergi ad crucem condemnatus fuit) audiebantur. Republica Senatu: Senatus authoritate sua per vim, destitutus & orbatus, Imperium nonnullis sub specie redigendi in ordinem Senatus, & abolendi gravissima, quibus variis exactionibus premerentur onera, per scelus affectantibus, qui se nec virtute emergere posse, nec unquam Patrum suffragiis in istud se fastigium, aut vocatum, aut collocatum iri, videbant. Ita evenire necessum est, ubi Magistrat⁹ hujusmodi seditionum procellas non mature objectis repagulis coercet, quas constat, multis & felicissimis Monarchiis ac Rebus publicis finem & interitum attulisse. Ideoque concordia inter illos qui Réipubl. præſunt alénda, & vitanda ſeceſſionis ſemina, ac vel leni, si res ita fert, oratione & verbis, vel acerrimā pœnā, principiis obſtandum, ne augescentes in infinitum popularis tempeſtatis procellæ totam Rempublicam concutiant & absorbeant, quæ ſemel læſa, & in vulgi contemptum adduēta, nec multis annorum ſpaciis eam quam habuit, dignitatem, reparabit. Tantæ molis est curare, ne ſalus Réipubl. à pluribus ſeditioſis, ne dum ab uno aut altero periclitetur. Quod quidem tum factum eſſe,

nemo

nemo qui ejus aetatis historicos legit, ignorat. Et hoc quidem  
gravissimo seditionis astu Lubeca, tunc temporis decem continuo  
annis laboravit, nec conquievit, priusquam a Sigismundo Im-  
peratore probe multatis Rebellionis authoribus, duobus eti-  
am in foro publice gladio percussis, & restitutis solenniter, qui  
aut civitate pulsii fuerant, aut alio in tutiora se receperant, Con-  
sulibus & Senatoribus, isti fluctus & seditionis motus compo-  
nerentur.

1416.

Quanquam vero hisce turbis consopitis, magna & ardua  
præstitit, & tum in vicinos Principes Saxoniam, Pomeraniæ &  
Holstianæ, Comites Schwerinenses, & alios, tum etiam in primis  
in Reges Daniæ, Angliæ ac Sueciæ, plurima bella vario eventu  
gescit: tamen quod eam inde decerpit gloriam, non solam,  
sed cum sociis civitatibus, qui iis gerendis plerunque interfuerunt,  
communem habeat, quod eâ occasione immensum me hi-  
storiæ (meliori ocio, & si favorem bonorum sensero, latioribus  
auspiciis reservata) pelago ingressurum videam, ideo vela mihi  
hoc in loco nonnihil contrahenda erunt. Istud nihilominus  
propriæ ad laudem & decus Lubecensem pertinet, ex quo nihil  
sibi decerpunt sociæ aliarum Civitatum cohortes & centurio-  
nes, quod captivam Reginam Joannis Daniæ Regis conjugem,  
ex Suecorum manibus liberarint: quod gravissimam belli mo-  
lem adversus tot potentissimos Germaniæ Principes confede-  
ratos, Henricum & Albertum, à quibus causa cœpit, Megapo-  
lenses Duces, Joachimum Marchionem Brandenburgensem,,  
Bugislaum Pomeraniæ, Magnumque Saxoniam Ducem,, quibus  
Johannes Rex Daniæ auxilio accessit, sustinuerunt: quod profili-  
gato & ejecto propter usurpatam Tyrannidem à Suecis Chri-  
stieno Rege, Gustavum Erichsen ex carcere in Dania, in quo  
obsidis loco asservabatur elapsum, armis, pecuniis, commeatu  
nayibus & viribus suis liberaliter juvarunt, eumq; in Regnum  
Sueciæ reposuerunt: quodque voluntariâ deditione receptam  
Stockholmiam, & suæ tutelæ traditam, Gustavo, sine eâ, quæ si-  
bi debebatur recompensatione, ultro restituerunt; licet ipse, &  
successores quidem ejus, dataim illis literisque obsignatam fi-  
dem, maxima in parte retractando revocandoque, beneficium  
sibi præstitum parum regia gratiâ recompensarint, adeoque

Copiosa syl-  
va rerum  
gestarum  
Lubecensem.

Author p-  
mittit per-  
fectum opus  
historicum.

1500.

1506.

C etiam

**Criminatio Lubecensibus obiecta.** etiam minus civiliter Lubecensibus objecerint, quasi nihil aliud sibi studio habeant, quam ut seminatis discordia facibus vicinos inter se Reges committant, ipsi vero interim securè Regnum Sueciæ invadant, non requieturi, donec illud sibi subjugarint. Quæ calumniosè ab Adversariis in odium civitatis disseminari, plurimis non eget. Sed novum & inauditum non est, etiam rectissimè facta & cogitata, pravâ hominum libidine, prout bene vel male de aliqua re sentiunt, perverti, & innocentes longeque aliud meritos maledictis & calumniis traduci. Quoad enim mens mea longissimè respicere, & præteriorum temporum memoriam recordari potest, equidem invenio, Lubecenses ea semper integritate & fide erga utrumque Regem, fuisse, ut pro ipsorum incolumitate, multo maxima: crebrius damna pertulerint, ac sèpè alterutros de sua ipsius salute desperantes, & abjectis sceptris mature sibi fugâ consulturos, ad colligendum animum revocârint, suaquè illis protectione, ope & auxilio defensis, securitatem & quietem reddiderint, ac nutantem labentemq; Regnorum statum re bene gestâ confirmârint. Sicut autem in vita evenire solet, ut nihil citius quam benefacta in animis hominum evilescant & moriantur: Ita parum istud populo Lubecensi dolendum esset, quod sibi pro alienis, iisque gravissimis laboribus, sumptibus, damnis & detrimentis percessis, gratia nulla habetur, nisi præter cætera etiam, quibus immerito affecti hucusquè sunt incommoda, non etiam quæ ad extremas aliorum preces optimo consilio candide fecerunt, veluti contumeliosa & probrosa ipsis objicerentur.

**Dissidium Lubecense.** Paucis deinde interiectis annis novum vicissim dissidium, natum est inter Senatum, populumq; Lubecensem, querentem, se per frequentes & subinde accumulatas exactiones & contributiones plane exauriri, opes suas imminui, libera navigazione per mare se prohiberi, navibus & mercibus spoliari, domi vero se non ferendis oneribus premi, unde Senatus tum propter illam, tum etiam propter hanc potissimum causam, quod liberum & publicum Augustanae Confessionis exercitium in templis permittere nollet, aliaquæ etiam, quæ de onerum gravitate vel remittendâ, vel minuendâ, & restituendâ publicorum Commerciorum securitate & aliis, justissimè flagitare. Cives vide-

videbantur, denegaret, maximum in se odium & invidiam concitavit. Tandem vero ita feliciter diremptum est, ut utriq; sibi pacem, tranquillitatem & Concordiam redditam esse, gauderent. Quæ ut & nostro tempore, post tot perpessas difficultates, & tempestates sereno nos vultu irradiet, ut pax publica sopitis malorum nascentium fomentis redeat, ut *Commercialia* hactenus non solum in nostrum, sed & omnium vicinarum regionum, quæ hinc velut ex fonte succum & sanguinem trahunt, perniciem, obstructa & impedita, rursum efflorescere incipient, nec perniciosâ & horrendâ Ruinâ, hæc *Civitas*, hæc patria nostra, cuius salutem optimus quisque civis defendere & tueri debet, denuo concutiat & labefactetur, sed eum omnia ad modum agantur, ut potior publici, quam privati commodi ratio habeatur, eo cuncta confilia dirigantur, & non tam odio, iracundia & ulciscendi & maledicendi livore, animi vulnerati magis à se invicem divellantur, q̄ suavissimâ benevolentia (quâ veluti indisso-lubili & tutissimo vinculo, Magistratus & subditi arctissimè inter se devinciuntur) rursum consocientur, divina nobis benignitas & clementia humillimis precibus roganda erit.

*Eadem peste  
hodie labo-  
ratur.*

*Gluten a-  
nimorum.*

Istis tunc periculis evoluti & liberati, novo vicissim bello *Novū bellū* aduersus Holsatos implicantur, propterè quod isti cum Belgis, civium Jura & Privilegia in suis Provinciis evertentibus *adversus* *Holsatos.* & apertâ vi in bona & merces Lubecēsium per mare deprædato, sàvientibus, contra se conspirassent. Exercitus conscriptus, cladesq; magna utrinque & data & accepta, Eutynum Episcopalis urbs & sedes occupatum, monasteria vicina, ut & arx Tritovia pecuniariâ exactione mulctata, Plöna urbs in prædam direpta, arx flammis absumpta, Segeberga autem arx, montis longe altissimi, & in præceps assurgentis dorso imposita, atq; ideo naturâ munitissima, omnem impetum hostilem facile respuens, milite & castris aliquandiu cincta, tandem vero re infectâ, ob-sidio soluta fuit. Postremo ad Eutynū ambæ cohórtes acri prælio confixerunt, ita tamen, ut victi Lubecenses planè cruentam & luctuosam Christiano Duci Holsatiæ, (quem Daniæ Proceres post Parentis ipsius Friderici obitum Regem successurum designaverant) Victoriam reliquerint. Ac licet ille, ad vindicandum illatum suis damnum, in propinquuo *cum* exercitu confi-

*1534.*

*Eutynum.  
Tritovia.  
Plöna.  
Segeberga.*

*Conflictus  
ad Eutynū.*

*Tarvena  
occlusa.*

dens, multa hostilia in urbem & cives ageret, obseratā etiam per impositum pontem Travenā, ut navigationis usum impedit: tamen posteā pace constitutā & firmatā, optimum Regem ex infensissimo hoste sibi amicissimum reddiderunt. Inde usque insigni virtute, fide, & amicitia tam ergā ipsum, quam etiam ejus filium Fridericum I I. perstiterunt, id quod ipso facto, maximaquē rerum & facultatum suarum jacturā, difficillimis istis & calamitosis belli temporibus, quibus vicini Reges extremis odiis & viribus inter se per integrum septennium, terra mariq; acerrime belligerabant, mutuifquē se vulneribus conficiebant, singulari constantiā comprobārunt. Primi illi in conflictū dexterā & ferro audaces promptiā, vincendique pertinaciā indefessi, Danis exemplo & incitamento fuerunt, ne segnius sequerentur. Belli vero genus tanto deterius & tristius, quod & contra furentes & tempestuosas maris procellas, & hostes potentī classe ferē semper superiores, simul certandum, & aut vincendum animosē, aut fortiter moriendum esset, cum nuspian fugae locus semel congressis pateret. Et quamvis multa præclarē, & digna, quæ ad posterorum notitiam perveniant, eo in bello egerint: tamen vel hoc in primis summaī meretur laudem, quod Prætoriam Sueciam, maximæ & stupenda molis ac existimationis, copioso & selecto milite, armorumquē apparatu instructissimam navem, Maggelosam, in qua victoriæ spem omnē reposuerat Suecus, & quæ viētā, non modo nihil amplius eo certamine difficultatis restare, sed etiam magnam atque adeō admirandam nominis gloriam ad se redūdere videbant, propè Bornholmiam Insulam, olim ad Lubecenses certā conditione pertinentem, primi omnium invaserunt, eaquē incensā & expugnatā, non tam in auream argenteamquē suppelleūtilem, quam in Classis Præfectum Pétrum Baggium, virum nobilem & veterānum militem oculos defixos habuerunt, quem ut armatus & cathena aurea supra thoracem obvinct⁹ erat, captum, tanquam felicissimam prædam, Rex dono sibi ab illis, acquisivit. Navis autem, quæ sola Regis cuiusdam thesaurum, armorum rerumquē aliarum precio æquavit, atque super ducenta tormenta majora ænea vexit, mari absorpta cum universo apparatu periit. Duravit ista mutua bellorum laniēna ad annum septuagesimum,

Pax resti-  
tuta.

Lubecensiū  
fides erga  
Fridericum  
I I.  
1503.  
Illorum au-  
dacia.

Maggelosa  
& Lubecen-  
fibus capta.

1504.

Petrus Bag-  
gius.

Concordia  
Stetinensis,  
1570.

rum, quo tandem D E I commiseratione, & interventu Imperatoris Maximiliani, Regis Poloniae & Galliae, Electoris Saxoniae, aliorumque Principum, maximo cum subditorum gaudio, sanctitate ad perpetuitatem Stetinensis Pacificationis formulâ, ad quam veluti normam omnes, si quæ oriuntur inter Daniam, Sueciam ac Lubecam, lites & controversiae, in foro Germanicæ, examinari & componi debent, penitus sublata est & extincta, ac Privilegia Lubecensibus in regno Sueciae integrè restituta, quo-  
rum tamen quietâ possessione, nunc denuo per Carolum Princi-  
pem Sueciae, ob leves saltem offense, administratam nem-  
pè, quam vigore legum & statutorum Municipalium, Regi Polonie Sigismundo, de propriis agenti, denegare haud poterant, justiciam enatas, & si Carolus pateretur, facili negocio juxta præscriptum formulæ, coram Imperij arbitris determinandas, præter jus & fas exuuntur.

Ut vero benignissimus Rex Fridericus, ejusq; Parens, nun-  
quam satis laudatae memorie Principes, Justiciae & Pietatis glo-  
ria omnium scriptorum libris commendatissimi, populum Ci-  
vesque Lubecenses sui amantissimos habuerunt, eosq; amplissi-  
mis sibi meritis devinxerunt: Ita nihil quicquam dubitamus,  
ejus in Regno & virtutibus paternis & avitis successorem, In-  
clytum & Serenissimum Regem, CHRISTIANUM, Princi-  
pem, animosâ fortitudine, prudentiâ, ingenii solertissimi acu-  
mine, industria, variisque disciplinis, omnes quotquot ante i-  
psum fuerunt Reges exsuperantem, nihil quicquam magnani-  
mis Antecessoribus suis, in fide, constantia, amore & benevolen-  
tia concessurum, quin imo pro innata regia sua clementia & hu-  
manitate operam daturum, ut quæ ab illis insignia in civitatem  
hanc profecta sunt merita, frugifero aliquo incremento auge-  
antur. Cujus jam tum non levia signa apparuere. Nam in eo, ut  
non solum de subditis, sed etiam de vicinis, de nobis, & bonis  
omnibus bene mereretur, eosque beneficentia, optimæque vo-  
luntatis significatione, in sui obsequium & dilectionem pertra-  
heret, hac tenus egregie & regie elaboravit, quemadmodum &  
hanc sibi laudem propriæ acquisivit, quod nullus orbis Monar-  
cha, aut gravius in Pyratas, eorumque complices animadverte-  
rit, aut in naufragos æquiores unquam leges statuerit, secutus

Carolus  
Principes  
Suecia Lü-  
becensibus  
item mo-  
vet.

1598.

Laus proxi-  
morum Re-  
gnum Danie-

Christianus  
IV. Frideri-  
ci Filius.  
Christiani  
nepos, Friðe-  
rici Labne-  
pos.

Qualis fit  
Princeps.

*Infiniani  
dictum*

in eo laudatissimum Imperatorem Justinianum scribentem,  
Turpissimum fore, si Fiscus Regius sibi juris quicquam in alienam calamitatem usurpet, adeo, ut non immerito vel saltem propter hanc justicie in noxios rigorem, Maris Neptunus, custos & protector omnium, qui immensum illum Oceani tractu, ejus Imperio parentem frequentant, appelletur. Agnoscent hoc divinum beneficium Cives nostri gratissimo animo, praesidioque & excubiis tanti Regis tuti, nullos praedones, nullos latrones, nullos hostes pertimescent, sed securè per mare in Daniam & Norwegiam, hisque confinia littora navibus excurrunt, summaque vicissim integritate, amore, studiisque obsequiosis Regi adhaerent, vitam ac fortunas suas pro ipso non minus, quam pro Parente & avo periclitaturi, si quod Deus avertat, in eos illum scopulos impingere contingere, unde pedem non facile retrahere posset. Fidem enim suam & gratitudinem, ut Daniae Regibus probarent, summo sibi semper studio & curæ habuerunt. In quo graviter me olim lapsum esse, haud dissimulo, cum in funebri oratione Ranzoviana, aliorum, qui mihi calamum ducebant, prava suggestione, ea quæ laudabiliter & inculpatè fecerunt Cives, in odium & Invidiam detorquerem, ob quem tamen non bene intellectum, nec malo animo profectum errorem, nemo bonus me innocentem reprehendet.

*Posterioris  
membrum  
orationis.*

*Lubecamam-  
ter Ansea-  
tica confœ-  
derationis.*

Hæc ergo Regina & Accola maris Baltici Lubeca, tot tantisque super admirationem rebus gloriose gestis, quæ magnitudine & multitudine infinita, angustos orationis fines excedunt, conspicua, interque principes Germania & Imperii civitates connumerata, ac ab ipsis Cæsaribus summo honore dignata, hec illa est, quæ primum (quod posteriori me loco dicturum promiseram) famosam illam & optimo consilio institutam Anseaticarum Civitatum societatem, è qua deinde quatuor nobilissima Emporia Bruggense in Flandria, Londinense in Anglia cui Antverpiatum successit, Novogardianum in Muscovia, & Bergense in Norvegia, originem cœperunt, excitavit.

*Origo Han-  
seatica soci-  
etas.*

Etsi vero nihil certi de origine Hanseaticæ Societatis ac primæva fundatione Empiorum apud probatos authores etatis. constat, in quo supinam yetustatis negligentiam valde admirari oportet, ut propterea in re tam præclarâ non nisi conjecturâ nita-

nitamus: dubium tamen non est, quantum quidem divinando  
assequor, eam ante quadringentos annos circa Friderici II. Imper-  
atoris tempora, aut non multò post ortum habuisse, & quem-  
admodum Vandalicarum Civitatum, quæ in vicino solo Van-  
dalico quasi in circuitu structæ sunt, conjunctio antiquissima  
est, & idcirco etiam ad deliberandum, in pleno, si res magni  
momenti videatur, reliquas confœderatas conscribendi convo-  
candique jus habet, quarum caput jam inde à primordio fuit,  
atque etiam nunc est Lubeca nostra: Ita cæteras etiam Civitates  
isto Exemplo & incremento adductas, sensim alias post alias  
his Vandalicis sese aggregasse. Honestis autem ea Societas &  
certis quibusdam legibus ad propagandum utiliter in Germa-  
nia, amplissimum Commerciorum usum, & impediendum pe-  
rigrinorum fraudes & imposturas, principio est introducta,  
quibus frater, & præterea potentissimorum Hispaniæ, Galliæ,  
Angliæ, Daniæ, Sueciæ ac Norwegiæ Regum, qui eam maxi-  
mis Privilegiis, utpote remissione tributorum ac permissu libe-  
ræ negociationis propter commodum & utilitatem, ad se suos-  
que subditos inde redundantem, exornârunt, favore adjuta, tan-  
tos omnino brevi progressus fecit, ut ad remotissimos etiam  
totius orbis terrarum angulos & fines, celeberrimam honora-  
tissimi nominis sui famam propagârit. Tam feliciter aucta, ut

*Maximus o-  
lim Regibus:  
terroris fuit..*

Quanta enim potentia præstiterit, quidve laude dignum  
re adhuc integrâ gesserit ea Societas, omnium ferè scriptorum  
Septentrionalium Annales testantur. Sensit ejus vires Suecia,  
sensit Dania, sensit Anglia, sensit Flandria, sensit Livonia, sen-  
sit Borussia, sensit Holsatia, aliquè complures, quos illatâ ali-  
quâ injuriâ, justissimis armis se suaquè defendendi, ad extremes  
angustias, & vel satisfaciendum ac restituendum, aut cavendū  
Sociæ civitates compulerunt, nemoquè illas unquam impunè  
irritavit. Neque hodiè ullus, licet potentissimus orbis Monar-  
cha, contra eam societatem contendere auderet, si non magis  
ambitione, & alienæ felicitatis invidiâ, quam conservanda flo-  
rentissimæ olim gloriæ, & perpetuæ conjunctionis studio inter-

*se cer-*

*Concordia  
vinculum.  
Schisma.*

se cerearent. Sed posteaquam firmissimum ilhid & adamanti-  
num Concordiae vinculum rumpendo, quærendoquæ proprium  
commodum perniciose schismate in diversas partes abierunt,  
non solum *universum corpus*, quasi afflictis membris nutare & col-  
labescere, sed etiam vel ab infimæ notæ Principibus, qui saltem  
minas ejus quondam haud sustinere potuissent, contemni, &  
nullius existimationis haberí cœpit.

*Vigilandū  
& caven-  
dum.*

Optandum quidem, ut denuo veterno excusso, evigilarent,  
& Antecessorum Majorumquæ vestigiis insistendo, aureæ istud  
Concordiae fœdus, quod non in verbosis orationibus, sed fide &  
factis, priscâ & Majorum ætate consistebat, repararent, denuo-  
quæ providerent, quæ aliquando certissimè, nisi bene caverint,  
sunt eventura, mémores, caudæ Equinæ pilos seorsim facile e-  
velli, & singulas sagittas vel à puerō confringi posse, quib⁹ ex-  
emplis Sertorius & Scylurus Schyta usi, ad quid Concordia  
conducat, quamquæ noxia & perniciosa sit discordia, demon-  
strare voluerunt. Planè admirabilis ea in re fuit Majorum-  
nostrorum magnanima virtus, qui ut exquisitissima pruden-  
tiæ & consilio hanc nunquam satis laudatam societatem con-  
stituerunt: Ita semel constitutam acerrimè, summaque ac sin-  
gulari constantiâ propugnârunt, relicto posteris exemplo, ut  
quæ Majorum industria, adeoque etiam sanguinis vitæque pe-  
riculo parta & parata sunt, non solum illi integra & inviolata  
diligenter custodiant, sed etiam, quoad fieri potest, augmentata  
ad successores & liberos suos transmittant. Atqui utinam ea  
duntaxat sibi fideliter curæ haberent, quæ à dictis Antecessori-  
bus suis acceperunt, & si de istis amplificandis non cogitarent,  
saltem solliciti essent, ne ista etiam, quæ illis maximi consti-  
runt, incuria aliquà amitterentur. Non enim minor est virtus,  
quam quærere, parta tueri. Magna tamen, jactis iterum & re-  
stauratis feliciter in Novagardia fundamentis, si Patres perinde  
consenserint, etiam de cæteris, quæ temporum vitio collapsa  
sunt, restituendis, omnino speramus.

*Civitates  
Hanseatica  
in quatuor  
Classes di-  
stributa.*

Fuerunt autem, ut & hoc adjiciam, numero olim octuagin-  
ta hac societate comprehensæ Civitates, ex quibus Anno 1444,  
septuaginta duæ suos adhuc Oratores, Lubecæ in Conventu  
Hanseatico habuerunt, in quatuor Régiones seu Classes ita divi-  
sa,

se, ut unaquæque Regio, Metropolitanæ suæ prisco instituto, libere tamen subsit, à qua cæteræ ad eam Regionem pertinentes, nomen sortiuntur. *Prima* Vandalicarum Civitatum Regio continet Lubecam caput, Hamburgum, Wismariam, Rostochium, Stralsundam & Lunenburgum (quæ sex Vandalicæ appellari consuerunt.) Præterea Sterinum, Anclamiam, Golnoviam, Gryphiswaldam, Colbergam, Stargardiam, Stolpiam & Rugenwaldiam. *Secunda* Borussorum comprehendit Dantiscum caput, Colmariam, Turonium, Elbingam, Regiomontium, Brunsbergam, Rigam, Torpatum & Reveliam, quæ tamen sui quæstus causa non ita pridem fœderi magno suo malo renunciavit. *Tertia* vero Brunsvigam caput, Magdeburgum, Goslariam, Einbecam, Gottingiam, Hildeshemium, Hannoveram, Ulyssæam, Boxtedam, Stadium, Bremam, Hameliam, & Mindam ad Visurgim suo confinio arctat. *Quarta* denique Westphalica Regio, ut postrema: sic maxima, sub se habet, Coloniam caput, Monasterium, Osnabuggam, Tremoniam, Sosatum, Hervordiam, Paderbornam, Lemgovium, Bilefeldam, Lippiam, Cosfeldam, Veseliam, Teutoburgum, Emmeracum, Warburgum, Unnam, Hammam, Noviomagum, Zutphaniam, Ruremundam, Arnhemium, Venloam, Elburgum, Daventriam, Schuolliam, Campianam, Groningam, Staveram & Bolsverdam, quarum Civitatum Incolæ & Cives solum, & præterea aliæ nullæ, ad participationem & communionem Hanseaticarum immunitatum, libertatum ac Privilegiorum, in quatuor istis, de quibus mox dicam, Emporiis, admittuntur. Reliquæ civitates, ut sunt Stendalia, Soltquelia, Francofurtum ad Viadrum, Uratissavia, Cracovia, Brandenburgum, Berlinum, Hala Saxonum, Ascania, Helmopolis, Quedlinburgum, Halberstadtum, Northemia & Chilonium, ultro se abdicando, à Corpore Hanseatico exciderunt, unde etiam in posterum exclusæ manent.

Inter Emporia autem Primum & antiquissimum est Londinense Anglicanum, quod Henricus III. Johannis filius, cum Philippum & Johannem ex illustri Valesiorum prosapia ortos Galliæ Reges, bello viciisset, ad remunerandum longe maximum à confœ-

D

Emporium  
Anglicanum  
1340.

deratis Civitatibus, quarum auspiciis & viribus ut plurimum  
eam memorabilem consecutus est victoriam, summā necessitate  
sibi præstatum, beneficiorum plenum officium, pro se & successo-  
ribus suis in perpetuum, amplissimarum immunitatum & ex-  
emptionum Privilegio ornavit, quo cautum est, ut inibi nego-  
ciantes ab omni tributo & vectigali liberæ essent, neque con-  
tributionibus, exactiōibus aut aliis oneribus graventur. Quod  
firmum ratumque habuerunt sequentes Angliae Reges Richar-  
dus II. Henricus IV. V. & VI. usque ad Eduardum quartum,  
qui cum Hanseaticos variis cladibus, injuriis, & direptioni-  
bus navium, ac mercium ipsorum, ad arma contra se excita-  
set, primus omnium prædecessorum suorum fidem fregit, eosq;  
cōcessis istis ab Henrico III. Immunitatib<sup>o</sup> spoliavit. Cumq; tri-  
bus continuo annis diu multumq; hostiliter inter se certassent,  
neq; Hanseatici arma deposituri videbātur, donec Regem ad re-  
stituendū coegissent, tandem Carolus Dux Burgundia, Eduardi  
Sororius, eos in Comitiis Ultrajectinis, ubi & Regis & Civita-  
tum Oratores frequentes convenerunt, post varias utrinquē in-  
stitutas querelas & disceptationes, amice diremit, & confœde-  
ratos in tranquillam & plenam exarmatæ libertatis possessio-  
nem reduxit.

Bellum in-  
ter Eduar-  
dū & Han-  
seaticos.

2474.

Hanseatica  
libertas An-  
glis invisa.

2552.

2556.

2558.

2559.

2560.

Inde usque per annos octuaginta quiete sub Richardo I V.  
Henrico VII. Henrico VIII. & Eduardo VI. egerunt, fremen-  
tibus & indignantibus Anglis, qui eam alienigenis, liberè em-  
mendi, & negotiādi licentiam extremè invidebant, & ereptam  
cupiebant. Factumque omnino propter quorundam malitiosorum  
& fraudulentorum hominum transgressionem fuisse, conceptā  
jam tum & latā à Parlamenti Regii Consiliariis excom-  
municationis sententiā, nisi Civitatum Intercessione emollitus  
Rex Eduardus, & post eum Regina Maria, apud quam novas  
Angli querelas movebant, istud decretum non revocassent. Ni-  
hilominus eā per mortem ex hāc vitā subtractā, Elisabetha in Re-  
gno & gubernatione ei succedens, ut suæ Nationis subditis in  
Imperii ingressu gratificaretur, varios frustrā cōventus institu-  
it, & propositis longē iniquissimis conditionibus nihil aliud e-

git.

git, nisi ut ea, quæ tam in Ultrajectinis Comitiis, quam ante & post eam cum Angliae Regibus acta & transacta fuerant, & à multis annis naturam Contractus acquisiverant, vicissim convelleret, vim & substantiam perpetua Concordię Traiectensis, novis quæsitis cavillationibus everteret, ac si consentire nolent, eos quacunq; occasione Regno Angliae exterminaret. Nec ulla ratione adduci potuit, ut Confœderatis, prisca consuetudine & moribus suis agere se permissuram polliceretur, nisi promitterent, idem jus etiam Anglis in Germaniâ concessum iri. Tandem eo res rediit, ut etiam illud obtinueret, tamē Hanseaticos, naturalibus suis saltem subditis coequaliter vellet, Anglorum Adventuraria Societas, quæ subinde nomen & sedem mutaverat, & primo à Duce Albaniæ Antuerpiâ ejecta, Hamburgum, inde Embdam Ostphrisia urbem, atque ex ea Stadium concesserat, Edicto Imperatorio, sub interminata pœnâ amissionis & confiscationis omnium bonorum, totâ Germaniâ ejecta, & ad Angliam relegata fuit. Quod Edictum variè à quibusdam etiam in aula Imperatoriâ interpretatum, & robore suo enervatum, sociis Civitatibus, immensis sumptibus fatigatis, nova & maxima damna, quæ propterea acceperunt, usque ad obitum Elisabethæ Reginæ, creavit. Et quia illa, avertendis seditionis contentionibus & intestinis regni bellis, moritura Successorem Prudentiâ togatâ, ex optimis literis enatâ, aliisque heroicis virtutibus, annis majorem, Iacobum VI. Scotiæ Regem, post se reliquit, firmissimâ spe, quam de ipso conceperunt, adductæ, id quod statim susceptis gubernaculis ostendit, sibi omnino persuasum habent, aureum istud, diuqué multorum votis exoptatum seculum, denuò restitutis in integrum Privilegiis, ejus auspiciis redditum esse.

Concordię  
Traiectensis

Mercans  
Adventu-  
raria socie-  
tas.

1597.

Elisabetha  
moritur

1603.

Alterum Brugis Flandriæ constitutum Emporium, circa annum salutis humanæ 1266. incepit, & magnopere initio efflorescens, præ ceteris, propter varias ex omnibus mundi partibus & regionibus eo importatas merces aliquandiu conspicuum fuit, donec capto, & in custodiam abducto, à Bruggensisbus Maximiliano I. Archiduce Austriæ, nuper in Germaniæ Regem asscito, Pa-

Emporium  
Brabani-  
cum.

1266.

8483.  
Portus ob-  
strutus.

8484.  
8485.  
8486.

8487.  
8488.

8489.

8490.

8491.

8492.

Emporium  
Antuerpi-  
am transla-  
sum.  
Osterische  
Hauf.

Amstelra-  
damū mer-  
enturā flo-  
rentissimū.

rens ipsius Fridericus Imperator, totius Imperii viribus obfessæ civitatis portum, intra alia, obstruxit, eaque ad hunc modum captâ, multo maximis Cives pœnis mulctavit. Ejus calamitatis, quæ omnes pariter oppressit, non postremam partem Residentes, bonis eorum direptis, & in prædam concessis, sustinuerunt. Necessitate autem propter obstructum portum, inde excedere coacti, Antuerpiam sese recipientes, cum Senatu ab anno 1516. variis modis, de Emporio Brugis istuc transferendo agere cœperunt. Ac impetrata per Antuerpienses à Carolo V. eorum, quibus Illustrissimi Principes Iohannes II. & Antonius Lotharingiæ, Brabantia & Lucemburgiæ Duces socias Civitates olim liberaliter donaverant, Privilegiorum confirmatione, Cæsareo diplomatico comprehensâ, publicè postea Antuerpiæ promulgata, & Lubecam ad Civitatum Oratores transmisâ, tandem honestissime in urbem Hanseatici admissi receptique fuere, in quâ perinde, ut in cæteris Emporiis, suis legibus & institutis, nullius, præterquam sui Magistratus jurisdictioni, obnoxii, & ab omnibus oneribus immunes vivunt, constructa ibidem Osterlingorum magnifica domo, multorum millium aureorum impensa, & nitidissimo lapide, sculpturâ artificiose variegato & elaborato, adeo sumptuosè edificata, ut Regis cuiusdam palatium stupenda operis structurâ, elegantiâ, & symmetrâ proportione, facile exæquet. Verum ob multiplices, quas opulentissima & pulcherrima ea Civitas Antverpia, nostris Patrumque nostrorum memoriâ, ab atrocissimis hostibus perpessa est, luctuosas bellorum tempestates & horribiles conversiones, vix jam umbram pristini splendoris, & paucissimas Reliquias istius celeberrimi quondam Emporii, proh dolor, superesse, sed omnia, quæ admirabilia in ea fuerunt, hodie Amstelradamum inconstantia & vicissitudine humana, commigrasse videmus. Nihil tamen adhuc de meliori fortunâ desperet. Fluxum enim & caducum est, quicquid huic sublunari sphæræ subjacet, & brevi incertoque spacio summa rerum momenta convertuntur.

Emporium  
Bergense.  
8493.

Tertium est Bergense in regno Norvegiae, annis abhinc circiter trecentis tanta oportunitate e fundamentis excitatum, ut

tria Aquilonaria regna Norvegiā, Sueciā, & Daniam ambi-  
tu suo complectatur, unde istud piscis genus Aselli indurati, &  
multa alia, magnā quotannis copiā in Civitates Hanseaticas, &  
ex illis vicissim in reliquias mundi partes, devehuntur. Licet ve-  
ro olim cum ceteris comparatum, ignobilissimū fuerit: hucus-  
que tamen reliquis oppressis, eo solo gloriantur. Quanquam &  
Nobiles, illicito ac sordido quaestu mercaturam exercere inci-  
piendo, & coemptos undiq; pisces & alias, quae in istud Empo-  
rium, ex Dania, Norvegiā, & adjacentibus regionibus derivari  
solent merces, in Belgicas provincias importando, superioribus  
temporibus, Hanseaticos fere inde expulsi sunt, sed querelis Ci-  
vitatum ad Regem Christianum III. delatis, ille prohibuit,  
ut in posterum abstinerent.

Nobiles  
mercatu-  
rā trāttant.

333.

Restat jam ultimum & postremum Emporium Novogardienſe, Emporium  
quantum quidem ex Annalibus & privilegio Godefredi Magni Novegar-  
Livoniæ Magistri coniicere licet, ante trecentos & triginta cir- dianum.  
citet annos, in amplissima & totius Russiæ maxima urbe Novo- 1299.  
gardia, quadragesinta milliaribus supra Narvam Livoniæ urbem & portum, & centum viginti à Mosqua Cæsareâ sede, Majorum  
consilio præclare fundatum, quod propter commoditatem & quæstum uberrimum cætera Emporia longo post se intervallo  
reliquit. Neq; enim ulla Regio vel magnitudine vel fertilitate  
rerum ad vitam & victum pertinentium, Muscoviam sive Russi-  
am vincit, cuius indicium est, quod ea sola tantum ceræ, sebi,  
mellis, corii infeci & præparati, preciosissimarūq; pellium, non  
solum ad indigentiam & necessitatem, sed etiam ad abundantiam,  
satietatem & luxum, totius Germaniæ, Italiae, Hispaniæ, Angliæ, Galliæ, Belgicarum, multarumq; aliarum late patentium  
regionum, singulis annis copiosè emittit. Etsi vero credibile sit  
illud Emporium multo, quam reliqua, antiquius esse: tamen  
cum veterum Annales nihil de eo tradant, frustra aliquid certi  
in re obscurâ divinamus. Neutiquam autem olim Russiæ & Mu-  
scoviæ Incolis, cum aliis, quam Hanseaticis ibidem Residenti-  
bus, sola duntaxat mercium permutatione inter se utrinquè a-  
gentib; negociarī licebat. Ex quo velsolo, haud exigua, sed lon-

Mosqua  
urbs.

D. 3

gē

*Lubeca felicitas unde orta.* gē uberrima Utilitas Civitati Lubecę brevi temporis spacio ac-  
crevit. Iстis divitiis, & opibus, istis incrementis in hanc amplā  
molem surrexit. Quod enim Sueci invidiosē gloriantur, quasi  
ex suis argenti, & cupri minis ac cavis montium visceribus, or-  
tum habeat, plane falsum est.

*Novogardia oppresſa.*

2494.

Hac felicitate Socię Civitatis diu florentissimē usi sunt, do-  
nec illato Novogardiensibus à Iohanne Muscoviae Principe, &  
Basilii istius famosissimi Tyranni Parente, bello, iisq; denuo per  
integri septennii continuas oppugnationes, devictis & subju-  
gatis, illa Mercatorum Germanorum libertas valde afflcta, &  
indies labefactata, tandem per illum ipsum Johannem Musco-  
viæ Ducem, Revaliensibus, ob quædam contumeliosa in se ef-  
fusa verba, gravissimè iratum, ad extrema redacta est, quadra-  
ginta novem Societatis Mercatores Novogardiæ depræhensi,

*Mercatores submersi.*

2498.

miserrimā conditione in carceres detrusi, Hanseaticorum ibi-  
dem inventæ merces, quæ ad trecies centena millia aureorum  
existimabantur, confiscatæ & direptæ, & ne tantillum quidem ex tanto bonorum cumulo, frustra sollicitantibus confœ-  
deratæ Hansæ civitatibus, restitutum fuit. Mercatores autem, dum post triennium impletatæ liberatione, letabundi Lubecam  
navigare parant, inter horrendos fluēt ad scopulos allisi, ad u-  
num omnes cum multis aliis in mari perierunt. In cuius rei te-  
stimonium Lubecæ ante portam Septentrionalem, ingentis ma-  
gnitudinis columna, in formam dependentis à Cruce Salvato-  
ris, cum aurea inscriptione est erecta.

*Revelia.*

Ita isthinc ejecti Hanseatici supra quinquaginta annos Re-  
valiae cum Ruthenis & Muscovitis, quamdiu istis libere hoc in  
loco negociari permisum est, agere consueverunt. Cæterum cū  
Revalienses præ nimiâ & insatiabili avaritiâ, exclusis sociis Ci-  
vitatibus, omnia ad se rapiendo, suis solius commodis servirēt,  
neq; amplius concedere vellent, ut vel Rutheni cum Germanis,  
vel Germani cum Ruthenis, usitatum hactenus Mercimoniorū  
usum alerent, sed ut utriq; merces suas immediate ad se destina-  
rent, quod ut sine impedimento sibi melius liceret, non solum

Prin-

Principis sui Rescripto impetrârunt, sed etjam abjecto fidelitatis sacramento, Hanseaticis in universum renunciarunt; Lubecenses & his sociæ Civitates, quibus, ut & Ruthenis, res perniciosi exempli videbatur, prætergressâ in posterum Reveliâ, Narmam negociationis forum constituerunt. Et quâquam Revelenes, summo eos inde conatu arcere, annisi sunt, tum alias, tum in primis flagrante belli Livonici incendio, variis ad Imperatorem Maximilianum & Principes Imperii allatis querelis, quasi Lubecenses hostem communem prohibito apparatu bellico & armis magis confortarent & instruerent: Nihilominus, quod ipsi Livoni in eo, super quo alios immerito accusabant, gravius peccare deprehenderentur, Imperatoris permissu etiam ipsi & reliqui confederati ad tutandam suam libertatem obnoxia viribus decertarunt. Id quod etiam postmodo Lubecensibus, novissimi cum Rege Daniæ adversus Suecum, qui redactâ in suam potestatem Narvâ, eos navigatione prohibuerat, & direptione navium ac mercium gravissimis damnis multaverat, suscepiti belli causam dedit.

NARVA.

1560.

Lubecenses  
adversus  
Suecum ir-  
ritati.

1563.

Ita ultra annos centum & plures possessione istius Novogardiani Emporii Hanseatici caruerunt. Etsi vero Basilius, & qui eum secuti sunt Muscovia Imperatores, sæpiissime illius reparandi spem aliquam fecerunt, non semel ejus rei causâ, per literas & salvum Conducetum, evocatis Lubecensium legatis: tamen ea semper inciderunt turbulentissima tempora, ut cum in procinctu sæpiissime starent, nilque aliud quam profectionis signum expectarent, statim nihilominus, conversis retro consiliis, ab incepto impedirentur. Tandem exhibitis ab hodierno Muscovia Imperatore, qui proprius aliquanto, exuta illa priori Muscovitarum agresti vivendi formâ, ad mores nostros accedit, per suos Lubecam venientes Internuncios, singularis cūjusdam favoris affectionis & Clementiæ signis, superiori anno concordibus Patrum suffragiis conclusum, istam occasionem, dum fronte capillatam se ostenderet, ambabus manibus amplectendam, nec diutius moram protrahendam esse. Istudque statim obeundæ legationis munus Lubecensibus (quos Muscovia

Muscoviti-  
ci hodie hu-  
maniores  
volunt ma-  
res,

1560. 24  
Lubecama-  
gna apud  
Muscovitas  
authorita-

Impe- tis.

Imperator, consuetudine quadam inverterata, inter confederatas Civitates, tanquam Caput magni hucusque fecit ( quibus deinde Stralsundenses, ad exornandam magis hanc legationem, sunt exhibiti, ex Patrum authoritate fuit injunctum. Qui circa initium Januarii hujus anni, socio pergentes comitatu, mense Martio feliciter in Muscoviam ad Regiam Imperatoris, magnifice excepti pervenerunt.

Legati au-  
diuntur.

Munera  
Hanseatica.

Convivit  
magnificus  
apparatus,

Ac postquam viribus recreandis, & abstergendo itineris tardio, dies aliquot insumpsiunt, tandem coram in Conspectum ante fulgentes oculos Magni istius & toto orbe famosissimi Imperatoris Muscovitici, cuius Imperium infinitis terrarum spaciis terminatur, multasque ac diversas gentes complectitur, solemni & stupendâ, pro more gentis pompâ, admissi, habitâ per Brambachium facunda oratione, ad demulcendas Principis, & astantium ad utrumque latus, longa serie, Purpuratorum Nobilium ac Baronum, aures accommodatâ, oblatisque simul tam Imperatori, quam & filio ipsius, nomine Hanseaticæ Societatis ex auro argentoque variâ avium & animalium figurâ, affabre elaboratis, incredibilis cuiusdam pulchritudinis, preciique infiniti poculentis, aliisque muneribus, inter quæ Aquila biceps inaurata magni ponderis & capacitatis, palmarium obtinuit, eum, quo tot annis orbati fuimus utilissimum Commerciorum usum in Muscovia, singulari D e i beneficio & benignitate nobis restituerunt.

Nec illud postremo loco tacendum, quod Princeps Muscoviae auditorio dimisso, requie bene ac feliciter à nostris perfectâ, in signum majoris benevolentiae ac humanitatis erga Lubecam, & reliquas confederatas Civitates, splendidissimo, & plus quam regio apparatu instructis epulis, legatos exceptit, ac renovatis traditisque sub aureo sigillo literis, eos pro uniuscujusque conditione largissime remuneratos, benignè à se dimisit. Inter alia autem & hoc, quia ad commendationem splendoris Muscovitici Imperatoris pertinet, dixisse sufficerit, manubria, cantharos, & vasâ, in quibus aqua, cibus ac potus fuerint.

Fuerunt Convivis administrata, ex auro obryzo facta, sex centena millia aureotum æquasse, unde de reliquis Principis Muscoviae divitiis judicare licet. Tantæ enim illæ sunt, ut neque quisquam ad credendum facile adducatur. Jacket utique suam potentiam Hispanus, glorietur Turcicus Ottomanus; majores Persa suas asseret vires, suos denique ostentent thesauros quicunque fuerint alicujus nominis Monarchæ: illos tamen omnes non solum superat, sed longè etiam antecedit, hic, quem dixi Imperator Muscovitarum, tam potens, ut & supra quingenta hominum millia armare, & si res ferat, multò majores copias cogere, & in aciem educere possit. Verum hujus loci non est, Principum Christianorum vires, potentiam, arma & divitias inter se conferre, quæ utinam ad amplificandam Christi gloriam & eripiendam ex infidelium & barbarorum fauibus, gloriosam illam quæ CHRISTI Salvatoris vagitus excepit terram, rectè adhiberent, neque Christiani Principes iis ad se ipsos mutuò obterendos abutentur. An tamen tanta Muscovitici Imperatoris potentia potius admiranda vel timenda sit, alii rectius judicabunt.

Sed relictâ Muscovia, in Germaniam nostram revertendo, Vobis Magnifici, Prudentissimi & Clarissimi Viri, de *Conclusio* *& gratula-* *tio.* reditu vestro insperato non minus, quam exoptato nobisque jucundissimo, gratulamur, propter vos & abeuntes & redeuntes, preces ad DEUM ab omni populo actæ, gratiarumque actiones institutæ, nemoque fuit, ex tanto hominum numero, qui non bene de vobis sperarit, qui non pro vobis vota fecerit, denique sospites ad hanc urbem reduci desiderarit. Et cum reliquorum Civium, fautorum ac amicorum benevolentia vobis jam tum abunde cognita sit, qui eam missis honorariis vinis & aliis Epulorum emblematis testatam reddiderunt, facere non potui, quin & Vobis gaudium meum significarem, & hac inconcinnâ ac inter turbas & animi curas non tam à me elaboratâ quam effusâ, & sub manibus enatâ oratione, mei, & totius Civitatis nomine Vobis omnibus & singu-

Iis gratularer , vestra bonitate , vestro candore, vestro & quis-  
fimo judicio confusus, sincere ac benevolo animo à vobis stu-  
dium hoc meum acceptum & interpretatum iri.

Etsi autem mihi jam singulorum laudes non levi calamo  
nec supino orationis genere percurrenda essent , sed quod te  
**C O N R A D O G E R M E R O** tantæ Civitatis Consule, te **H E N-  
R I C O K E R C K R I N G O** Senatore , amplissimâ pariterq; anti-  
quissimâ & maximè honoratâ gente progenito , cui Dii ma-  
iores adhuc honores reservant , teq; **B R A M B A C H I O** ora-  
tore in utraquè lingua disertissimo , quadragies jam & ultrà  
legationibus Amplissimi Senatus nomine feliciter & hono-  
rificè perfuncto , pro vestri generis ac dignitatis splendore di-  
gnum esset : tamen quod ea vos esse modestiâ sciām , ut potius  
laudabilia faciatis , quam quæ laudabiliter fecistis , audiatis ,  
hic denuò subsistam , **D E U M** ter optimum Max. qui vos ex-  
tot periculis ereptos huc salvos vicissim reduxit , ex animo  
rogans , ut vos in Reipublicæ bonum , cæterosque Amplis-  
simos Dominos Consules ac Senatorès diu sospites , ac cor-  
poris animiq; viribus incolumes , Rempublicam autem no-  
stram & Civitatem , felicissimè florentem conservet & tuea-  
tur , utque etiam de labefactato in exteris regnis & reliquis  
Emporiis Commerciorum statu , & restituendo & conservan-  
do , serio Patres cogitent , ac iisdem votis & animis consenti-  
entes , amissam felicitatem , tam ad augendam publicam pri-  
vatamque salutem , quam etiam quietem , pacem &  
Concordiam reparandam , quam-  
primum consequan-  
tur .

*Errata sic corrigantur:*

A 4. Episcopato lege Episcopatu. B 1. vagina l. vagina. B 2. infastarent l.  
infestarent. Ibid. Ecclesiasti l. Ecclesiastici. B 4, negotiantibus l, negotiantibus,



L V B E C Æ  
Imprimebat Laurentius  
Albrecht.

A N N O C H R I S T I

---

M. D. CIII.



Apparatus  
Technicus

anno 1611

M.D.CHI.

the scale towards document




Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.

Print Reference numbers on UT